

OK. 242

Zb
1825

FINIVM
VERVS, ET IDONEVS
DOCTOR,
B. MICHAEL FOERTSCHIUS,

STVDIIS, FACTIS, FATISQUE PROBATVS,
ET FACTA DE HIS DICENDI POTESTATE

TRIBVS

ILLVSTRIS GYMNASII CLASSIS SELECTAE
ALVMNIS VETERANIS,

IOANNI LEONARDO HERR, GOTHANO,
HENRICORVDOLPHO QVEHL, MVHLBERGENSI,

ET
NICOLAO KLEIN, TAMBACENSI,

SVB ANNIVERSARIAE LVSTRATIONIS FINEM
REPRÆSENTATVS

RECTORE,
GOTHOFREDO VOCKERÖDT.



865.11

I. Finium regula a B. FOERTSCHIO studiose inculcata: II. Occasio suppeditata Machiauelliis, Christianae doctrinae osoribus; vi et eiusdem corruptoribus, intentibus Aristotelis de summo bono philosophematis. His rectiora Platonica de finibus placita, asserta, et probata; atque his conueniens FOERTSCHIANVM de studiis consilium, et scripta alia, maxime disseratio in Clementem Alexandrinum. III. Eadem demonstrata autoritate diuinarum litterarum, Mosis, et Christi placitis; illibata autem vetoris ecclesiae exemplis. IV. Cur reclam finium regulam afferat B. FOERTSCHIVS? cuiusque notae sint, qui eam oppugnent, et errores in delectu expounderunt rerum tuerantur? V. Ad veritatem tuendam iaduuen NOSTER ex indole, et institutione: quod primo sermon ostenditur: VI. vanorum autoritate: quae alter orator celebrat: VII. sibi proprio, et vitae exemplo: quod postrem dicendo persequitur. VIII. Ad hos audiendos inuitati III. GYMNASII patroni, et fautorum.



I.

On humani; sed diuini iudicij regula metiri Christianos fines suos, dictum est BEATI MICHAELIS FOERTSCHII, S. S. THEOL. D. Durlacensis primum aulae supremi sacrorum praefulsi, eiusdemque Gymnasi professoris, nec non Abbatis Loeraensis, deinde in Tubingenium academiam S. S. THEOLOGIAE professoris, et DVCALIS CONTUBERNII INSPECTORIS, ad ultimum apud Ienenses theologorum primi: quod pro symbolo ILLE frequentabat adeo, ut in omnium libellis legeretur, qui clarorum virorum, quos salutant, expertunt, circumferruntque memetam litteratam, ipsius manu inscriptum. Non temere id atreptum, et tam constanter a tantae autoritatis theologo usurpatum esse, non alienum erit ex ipsis indole, studiorum ratione, publicato proposito, et declarato satis doctrinae, et morum instituto ostendere.

II. Nec adeo longe abeundum, et ex longinquo petenda videtur ratio, quae BEATO tantopere commendauit istud placitum, dum integro sermone de finibus Christianorum dudum publicato aperuit ipse, quid in hoc doctrinae capite meditando, inculcando, et illustrando adeo desixerit mentem suam, ut ab eo suscepsem apud Tubinigenses S. S. THEOLOGIAE profissionem auspicaretur. Profanos animaduertit vir cordatus cum Machiauello fassidire CHRISTIANAM religionem, ut nequaquam accommodari ornandae, intentaque reipublicae, castiarique, ex lege, et praeceptio discipline CHRISTIANAE despici res humanas, et contemni honorem, commendarique humilitatem, & abiectum animum, res imperio, et ciuilis ordinis rationibus contrarias; nec contra deesse, quos Petrus sub finem posterioris epistolae aquiescis noscens appellat, qui adhibiti reipublicae, seu ecclesie administranda rectae vitae, consiliorumque ordinem peruertant, inque medio CHRISTIANI-

SMO

SMO ethnico more vivant, suadeantque. Stulti ita, dum fugiunt vitia, in contraria currunt. Rationis humanae sibi relictae, nec diuinioris disciplinae patientis, et diuinarum litterarum praescriptioni bona fide obsequentis, nec autoritatem reverentis, ut, quid spectet, iubeatque, recte intelligere, simpliciterque facere sustineat, tanquam cupidini humanae contrarium, et ideo a suo iudicio, et delectu alienum, perpetuum malum est, errare in finibus deligendis, et rebus experendis. Fallor, an inde tot philosophantium, et tam diuersae de finibus, maxime summo, sententiae sunt? Certe si tot fuerunt, quot Augustinus in veteris sapientiae monumento egregio, inscripto de ciuitate DEI opere, recenset: de philosophis non minus, quam de vulgaribus ingenii vere dici potuit: *trabis sua quenque libido, et quod Paulus Romanorum philosophis exprobrat, despuerunt, qui maxime sapere videri voluerunt.* Probabilior caeteris visus summam non modo scientiam; sed et sciendi modum, Ἰεόπον τῆς ἐπιστήμης, professus Aristoteles, dum in constituendo summo bono, et fine supremo definiendo virtutis actui vitae perfectae pretia, et auctoramenta omnia apponit, opes, honores, et voluptates, modica quamvis cupiditate consectetur, a se ipso, et legitimo sciendi modo descivisse, finem cum instrumentis, subsidiis, et adiumentis inepte confusisse recte censemur. Melior, et religiosior censendus est Aristotelis magister, Plato, et quisquis eius autoritatem bona fide secutus est, asseruitque Platonicae scholae sumnum bonum, divinae naturae similitudinem: quod solo naturae nomine, Socratis fato territi, non pauci fecerunt. Illi autem astuto, et callido aestimatori moris publici, et tunc aulici, cum principibus placuisse viris non ultima laus videretur, apta honorum cupidini, et libidini, quam vera, et ad sananda corrupta de rebus experendis iudicia, nec non emendandam consuetudinis depravationem pertinentia tradere maluit; tantisper quae de uno, vero, et perfecto bono, DEO, ad captum popularem, et vitae communis usum inculcanda fuissent, ritu aliorum philosophantium, ne dedecori foret, ista ignorare, vel negligere, reiectis in aliam disciplinam, a vulgi captu, usque remotam, nimicrum metaphysicam. Quocirca B. FOERTSCHIO nostro, de finibus disputanti, potior visa est Platonica, quam Peripatetica de his philosophandi ratio, probatque diserte, qui illam commendat, Ciceronis sententiam. Constituatur, scribit in laudato sermone, primo immotum argumenti fundamentum, DEI, rerumque naturae. Neque enim, ut TVLLIVS ait, potest quisquam de bonis, et malis vere iudicare, nisi cognita ratione naturae, et vitae decorum. Et paullo post: *binc utilissimae nobis fluent regulae, in omni vitae usu se proditurae.* Discemus naturae necessitates, et commoda sive futurorum moderari. Aestimabimus actus nostros non priuatae utilitatis; sed conscientiae prelio: metiemur prudentiae decreta seniori sanctitudinis regula. Et paullo ante:

hinc ciuiles actus suum muruantur decus: hoc fundamentum socialis vitae bene, recteque ordinatae: haec omnia ad arctiorem illam, sandioremque DEI communionem Christianis certa est, et expedita. Sub finem autem orationis, ad auditores futuros conuersus, grauiter his inculcat doctrinae huins vsum. Agite, inquit, ita instituite studia vestra, ut supremum eortundem finem, Deum, primo apud animos vestros constitutatis; et ad hanc normam exigite cunctas vi- tae rationes, cumque doctrina pietatem, cum pietate prudentiam coniungite: non fucatam illam, et secularem; sed veram, mentique diuinam congruam. Hoc fine sacras scrutamini scripturas, & eruditam coniungite antiquitatem, reconditos sapientiae Platonicae thesauros, subtile ingenium Aristotelis in ordinandis disciplinis, Stoicorum graues sententias. Consultile inprints ecclesiae do- flores, Ambrosium, Augustinum, et ante hos Clementem Alexandrinum, Laetantium, aliosque, non ad flores quosdam ad ostentationem excipiendo; sed ad gra- uem commentationem, et luculentae deductionis argumentum. Cui fini schola- lastici quoque doctores, ingeniosi homines, suo modo merentur adhiberi: ubi vero cuncta ad Scripturae normam ponderari, vsumque vitae accommodari de- beant. Quod ut laetabili cum successu fiat, superni numinis gratia imploranda est. Eo pertinent, quae in Clementis Alexandrini paedagogum, et Stromata theologiae patristicae nomine tam pie, quam eruditè est commentatus.

III. Tanto magis audacter afferit, et inculcat BEATVS rectam de fini- bus, et rebus expetendis philosophandi, et docendi rationem, et reuocat dis- scentes a peruersa finium aestimatione, et via illa planstraria, in quam a S. Au- gustino deploratus torrens, consuetudinis depravatio, auffert incautos sub- praeconis voce: o ciues, ciues! quaerenda pecunia, opportunum luxus, et li- centiae instrumentum, primum: virtus post nummos! in qua eosdem dedi- cunt concessarum voluptatum, et cupiditatum autores, per semitam Aristote- licae mediocritatis, intra licentiae non prorsus effusae terminos, ad publici mo- ris elegantiam, et exempli non contemnendae autoritatis decus: quo con- trariam hanc magis diuinis oraculis, veterique Christianorum disciplinae; illam autem conuenientiorem statuit, et consentaneam prorsus placitis Mo- sis, et Christi. Dum Moses bonum vnum, verum, perfectum, DEVUM, dili- gere iubet ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus, animae faculta- bus, motibusque, qui vulgo affectus appellantur, non potuit BEATVS pro- bare morem philosophantium in metaphysicis de bono vno, vero, et perfe- ctio; in ethicis autem ad vnius boni amorem, cultum, et communionem re- uocandam animam distrahentium, et huius motus, affectusque diligentium ad expetenda pro boni summi partibus, summi NVMINIS fauor quae tanquam in- strumenta, & huius vitae subsidia, et adiumenta religiosis suis cultoribus tribuit,

qui-

quibusque vti, et frui patitur libere, quotquot ea sacrare gratiis agendis, et verbo diuino voluerint, et dum fruuntur, autorem, datoremque celebrare, et in huius amore, honore, laude, et cultu vnice adquiescere. Dum Christus negat Deo, et huius vitae pretiis, quae Mammona sacro stylo appellantur, simul seruiri posse: dum diserte asserit, eam esse ingenii humani indolem, vt alterum amet, alterum oderit; alteri adhaerescat, contemnat alterum: dum docet, quam necesse sit, vt simplex sit oculus, pura, casta, et sincera destinatio ad vnum DEVVM expetendum, amandum, et pro vnicō oblectamento amplectendum dirigenda, si corpus, et totum vitae actum in luce esse velimus: dum terret, et denunciat periculum in destinatione errantibus, oculosque alio, quant ad vnum sumnum bonum, DEVVM, auertentibus, nimirum caliginem, et meas, atrasque tenebras: non potuit B. FOERTSCHIVS illorum Peripatetico-rum placita Christi doctrinae conuenientia iudicare, quibus trinum mundi numer, honos, opes, et voluptas, vel sacro verbo Mammona, inter ea ponuntur, quo dirigenda sit destinatio, quae a Christi cultore spectari excusat possint, quae cum Deo amari, in quibus extra DEVVM affectus humanus possit acquiescere. Nec credere potuit BEATVS, a praecone portae angustae, & semitae arctae, Christo, iuberi cultores quererere coelestia, et promitti caetera, quae ad huius vitae vsum pertinent; si ex Peripateticae disciplinae lege haec pro summi boni particulis diligenda, et consecuta forent. Fallon, at ideo B. Foertschius Clementis Alexandrini PAEDAGOGVM peculiari differentiatione illustravit, vt moribus nostris publicis, popularibus corruptelis, et erroribus in rerum expetendarum delectu opponeret antiquam grauitatem senioris disciplinae Christianae, vt ipsius verba retineam, a qua heu! quantum abhorrent tempora nostra?

IV. Nec obscurum est, cur BEATVS in designandis humanorum actu-um finibus sacrarum literarum prae scriptum, antiquae ecclesiae exempla, et philosophandi rationem probatiorem sequi potuerit, malueritque, quam de prauationem consuetudinis, et his accommodata philosophemata, seculi li- centiae lenocinantia? Contigerat indoles pueri a licentia abhorrens, et ma- ture seuerioris disciplinae patiens. Accedebant ad recta, et solida duces, et magistri summae autoritatis. Ita mature eam nactus est ingenii, studiorumque fiduciam, quae ad vanam, et inania, ad lenocinia, et corruptelarum patro- cinia quantaecunque autoritatis eum conuerti non patiebatur. Fere enim sit, vt in prima aetate, quam diu libido ante rationem est, licentiae adsueti, prae- fertim si pacata tempora, et fortunae opportunitates illam prouocanterint, aliue- tintque, quamuis prouectior aetas, et subinde vitae genus lucrandi panis cauf- sa suscepimus alios mores postulent, vt Curios simulage, et bacchanalia vivere

pasam non liceat, clam tamen nequitiae faueant, passim circumspiciant, vel
vndeunque accersant, arripiantque rationes, quibus pristini moris dedecus
excusari, & licentiae cursus aperiri posse videatur; ac dum socios, & similis
instituti fautores inueniunt: quod non est difficile, quam diu de omnium ho-
minum genere, et ordine verum manet illud sapientis Graecorum πλεῖστοι κα-
ρότοι: ita exultent in prauis studiis, vt censurae etiam refragari ausint, et qui
illa damnant, et ad lapsi moris integritatem reuocant, noui quasi operis re-
os, vel singularis opinionis suspectos faciant; certe tanquam parum consulentes
paci, et tranquillitati publicae, quantum in ipsis est, proscriptos velint.
Quos pro nequitiae patrocinio coniurantes non tam facile est refellere; praef-
sertim si quidam eminent, et autoritate potentiorum niti possunt: nec ausit
praua studia palam damnare, nisi BEATO FOERTSCHIO similis, plenus lit-
teris, et a pueris integer vitae, scelerisque purus, vt mens recti conscientia famae
possit ridere mendacia: quique munerum suorum amplissimorum, ad quae in-
genii, et studiorum celebritas illi sunt suffragata, autoritate niti queant ad-
uersus autoritatem contrariam.

V. Planius autem vt possit intelligi, quanta huius theologi dos fuerit,
quantumque vindicem veri, rectique esse oportuerit BEATVM, tribus vetera-
nis ILLVSTRIS Gymnasi alumnis ad altiora, et academicas operas tractan-
das propediem dimittendis, datum est negotium excutiendi, et pro viribus ad
dedicanda solennia, quibus lustratio anniuersaria finienda est, publice repre-
sentandi FOERTSCHIANA studia, facta, et fata. Ita dum primus viri BEA-
TI pueritiae, et adolescentiae currícula perlequenda sibi proposuit, ad rem an-
tequam accedit, demonstrat, quid intersit, quantaque molis res sit, iumentum re-
cte docere, et arcere a corruptelis; ad hoc autem nihil deesse passos esse pios, et
in patria, Franconia, vbi Tubaris, et Moeanus confluunt, sito oppido, VVert-
heim, comitum huius nominis domicilio, vbi cr̄c 15c LIV. IVL xxiv. natus est, satis
claros parentes, BEATVM IACOBVM FOERTSCHIVM, municipii sui de-
curionem, et MARGARETHAM ELVVERTIAM: liberali domi sumtu aluisse
magistrum idoneum, qui admodum puerum litteras doceret, et pietatem: im-
butum tirociniis tradidisse publicis in schola patria magistris instituendum; vt
confirmarentur autem humanioris litteraturae, et liberalium artium, quae in
scholis inferioribus solent inculcati, rudimenta, et altiorum studiorum solida
iacerentur fundamenta, Durlacum misisse ad opportunam adolescentiae studio-
rum, postea fortunae sedem primam, cum illa rexissent clari nominis viri,
Fechtius, et Arnoldus, et quidem eo cum successu, vt in Argentoratensis
academia eius ingenium posset exsplendescere, probarique summis viris,
Balthasari Bebelio, et Sebastiano Schmidio: quos sacrae antiquitatis, et litte-
raturae

raturae fideles ibi natus est interpretes; nec non Obrechtio, Fausto, et Zent-
grauio: quos ad omne liberalis doctrinae genus duces idoneos habuit, quo-
rumque primus, reconditae eruditionis autor NOSTRO, fautorque summus
praesidio non defuit, cum de censi Augusti publice disputaret. Inde Ienam,
ultimo fortunae postea sedem petuisse, et Helmstadium excurrisse: atque illic
Musei, Bechmanni, et Bayeri; hic Conringii, et Titii vsum esse in theologia,
et litteratura institutione. Quos magistros ab omnibus vanis, friuolis, et fu-
tilibus ad solidam, et rectiora, culturae bonae mentis seruientia, studia traducere
feliciter; maxime autem antiquam doctrinam, sanctique moris integritatem
BEATO commendare potuisse, satis constat.

VI. Alter testatus Christo obsequendi studium, neganti lumen sub mo-
dio occultandum, poscentique, ut in luce reponantur virorum bene merito-
rum facta, posteriorum aemulatione digna, et hoc pacto PATRIS COELESTIS
gloria amplificetur, sui officii esse affirmat, efficere, vt B. FOERTSCHIUS fu-
turiis Ienensibus studiosis, inter quos nomen suum profitetur hic orator, etiam
post fata lucere possit, et ad omne virutis studium praelucere iactatis publice,
et digna laude ornatis doctrinae, virtutis, et meritorum documentis. Itaque
Perenoti, Petri de Greiffenfeld, et Lutheri exemplo BEATVM memorat, se
magnorum principum ministeriis honoratis, et ecclesiasticis praefecturis aptum,
dignuimque, studiorum, et laborum assiduitate, reddidisse, et plus his artibus,
quam Gygis annulum, esse consecutum, ut non temere fortunae suae melioris
faber dei possit. Diversa autem a Gygis annulo rations emersisse, dum ab
alii exsplendescientia eius ornamenta spectata magis sunt, quam ab ipso: qui
prae modestia latere in obscurio, et studia confirmare, quam propellere in
rostra, vel illustres cathedras, maluerit. Inde autem euocasse primum SE-
RENISSIMVM FRIDERICVM MAGNUM, Marchionem Badensem, Durla-
cum NOSTRVM, et in illustri Gymnasio theologiae professoris munere or-
nasse, ac, vt cum honore, et autoritate fungi eo posset, Doctoris titulo Giessae
honestari curasse, abeuntique Fechtio, claro Roslochienium theologo, iussisse
succedere, summa praefectura ecclesiastica, consiliarii munere in saera
curia, et dignitate Abbatis Loeragensis. Sub gladem autem patriae a pluri-
bus euangelicis principibus expedita esse B. FOERTSCHII ministeria; sed
vnum impetrasse, SERENISSIMVM Württembergensem Ducem, EBERHAR-
DVM LVDOVICVM: cui vocanti paruerit NOSTER, et TVBINGAM con-
cesserit ad suscipienda in limine memorata munera. Vbi quamuis viuere, et
mori statuisset, nec deessent validam latis retinacula, et auctoramenta non con-
temnenda; cessisse tamen diuinae voluntati, et SERENISS. SAXON. DVCVM
desideriis: et ita pietate poscente in alma studiorum iuuentutis sede, et quasi
matre,

X 336264
matre, Ienensi academia, vacuam primi theologi spartam suscepisse, eamque
egregie ornasse.

VII. Postremus autem praefatus de ratione fatorum virorum theologo-
rum, meritis subinde contraria, SERENISSIMORVM SAXONIAE DVCVM,
Ienensis academiae nutritorum, felicitatem praedicat in theologis constitu-
endis, et quod post Gerhardos, Himmelios, Glassios, Chemnitios, Museos,
Bechmannos, Bayeros non defuerit illorum ut alumnus, ita virtutis, et pietati-
s aemulus, B. MICHAEL FOERTSCIVS, scriptis diu ante clarus, quam
quinto huius saeculi anno inter theologos Ienenses primum locum tenere ius-
fus est, publice dudum testatus, quam se duce sequi oporteat diuinarum litte-
rarum tractandarum rationem? Ipsum autem iuuisse, quam aliis praescrip-
tit ad sapientiam viam, probat vulgarium ab eo scriptorum argumentis,
plenarum eruditiois reconditae, et propositi sanctioris, etiam dum solicita-
tur ad agitanda certamina euangelicae ecclesiae periculosa: quod maxime
probauerit edenda de prudentia ecclesiastica dissertatione. Quam autem aliis
tradat prudentiae celendae rationem, non ab ipso abiectam esse: patriae cla-
dem aperuisse, cui intercesserit lapsos mores feralibus tandem flammis expi-
andos reuocando ad Christianae pietatis integritatem antiquam, ac palam de-
plorando ab ista abhorrentia tempora nostra; sed cum surdis fabulam nar-
raret, recte detrectasse sub malis publicis morari, et halcyonia expectare, etiamsi
satis obsfirmatus fuerit aduersus causas acerbiores, ipsi tam crebros, vt, tanquam
alter Iobus, patientissime eos perferret.

VIII. Satis ista, ni fallor, ostendunt idoneum finium doctorem, B. MI-
CHAELEM FOERTSCHIVM, ex cuius dictis, factis, satisque discere possumus
rerum expetendarum, et fugiendarum modum. Quem si uebimur grati eri-
mus pro viri meritis, & post facta rite colentus beatos eius mapes. Non sine
fructu igitur repraesentabuntur illa coram panegyri scholastica. Gui vt lu-
strationis finienda causa interficiant, et nouitorum oratorum, vniuersique coe-
tus scholastici studia sua exoptatissima praesentia excident, idque crastino

dic, HORÆ VII. ante meridiem, in auditorio CLASSIS PRIMÆ.

ILLVSTRIS GYMNASI GOTHANI
PATRONI, ET FAVTORES.
ea, qua par est, obseruantia rogantur.

P. P. CIC 10CC XXIV. AVGUSTI XIII.

GOTHAE LITTERIS REYMERIANIS.

26 1825 Ck

m.c.

B.I.G.

Farbkarte #13

Black	White	3/Color	Red	Magenta	Yellow	Green	Cyan	Blue	Inches	Centimetres
19	18	17	16	15	14	13	12	11	10	9
18	17	16	15	14	13	12	11	10	9	8
19	18	17	16	15	14	13	12	11	10	9
19	18	17	16	15	14	13	12	11	10	9

FINIVM
RVS, ET IDONEVS
DOCTOR,
EL FOERTSCHIVS,
ACTIS, FATISQUE PROBATVS,
DE HIS DICENDI POTESTATE
TRIBVS
GYMNASII CLASSIS SELECTAE
ALVMNIS VETERANIS,
ONARDO HERR, GOTANO,
VDOLPHO QVEHL, MUHLBERGENSI,
AO KLEIN, TAMBACENSI,
RSARIAE LVSTRATIOVIS FINEM
REPRAESENTATVS
RECTORE,
FREDO VOCKERODT.

